



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

iv. Nec ens rationis fictitium resultans à denominationibus logicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

sunt, artes verò factivæ, in quibus ideo subjectum ultimum formæ assignatur pro objecto materiali, quia ex parte hujus ultimi subjecti peculiarem difficultatem vincendam habent, quam in rem peculiariora quoque ab arte præscribuntur præcepta; Logica autem circa intellectum seu ultimum suum subjectum non invenit hanc difficultatem, cum intellectus ad recipiendas operationes rectas necessario sit determinatus. Imò loquendo subtilius & logicè de objectis artium mechanicarum, illis assignare possumus objecta sicut in Logica, & dicere; V. G. objectum materiale proximum Aurifabri, esse sculptionem, fusionem &c. formale esse eandem sculptionem factam secundum regulas hujus artis.

IV. Multò minus objectum Logices est ens rationis fictitium, quia tale non sunt denominationes logicæ, dum enim quid dicitur definitum, prædicatum, universale, genus &c. non fingitur ab intellectu, sive non cognoscitur, rebus inesse à parte rei aliqua forma resultans iis à cognitione definiente univer-

salificante &c. & sic illas denominans, sed importatur denominatio realis rebus extrinseca, derivata à cognitione, quæ denominatio est ens reale, & indistinctum à subjecto denominato & forma denominante, non minus, quàm esse visum est denominatio realis conveniens parieti viso etiam nullo intellectu fingente, visionem esse parieti inhaerentem; & sicut visio rei visæ, sic cognitio conjungitur rei cognitæ realiter extrinsecè, præter quam conjunctionem fingenda non est alia unio intrinseca talium formarum cum talibus subjectis denominatis. Neque faciens universale concipio naturam abstractam realiter ab individuis, aut unum realiter identificari multis, sed abstractam & unam extrinsecè, sive cognoscuntur multa confuse in ordine ad prædicatum commune, non cognitis clarè differentiis eorum individualibus, quamvis Logica potius & directè versetur circa ipsam cognitionem abstrahentem, quàm naturam abstractam. Neque in propositione affirmativa fit ens rationis, dum prædicatum & subjectum quæ à parte rei idem sunt, inter se

se uniuntur & componuntur, nam prædicatum distinctum aliquo modo à subjecto, & compositio inter ea apprehenditur in actu exercito, non verò in actu signato, quod aliud non est, quam rem inadæquate & diversimodè concipere & ratione distinguere, & dein rem ut cognitam uno conceptu affirmare de eadem re ut cognita alio conceptu. Quinimò dato, denominationes logicas seu intentiones secundas objectivas esse entia rationis, adhuc non erunt objectum directum Logices, cum Logica eas solùm consideret directè secundùm formam denominantem; sive enim per formas illas fictitias resultantes à talibus cognitionibus formaliter constituatur universale prædicatum &c. sive per ipsas cognitiones fingentes tales formas, Logica (cujus objectum debet in se posse dirigi) adhuc circa illas formas fictitias versari nequit immediatè, utpote in se indirigibiles & dirigibiles tantùm in cognitionibus, à quibus resultant.

V. Quare operationes intellectus sunt objectum Logices; quidquid enim in

A §

Logica